



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

7. Eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

lūm quòd ex sua sola fide vnusquisque saluaretur, sed etiam quòd ex mea fide de alterius salute alter quoque saluaretur. Hic enim ex fide patris filia mortua resuscitatur & salua facta est. Si ergo ex sola fide patris saluata est filia, & hoc exemplo sola fides ad omnia à Deo impetranda valere debet; sequetur quòd sola fides non credenti tantū, sed & omnibus pro quibus credere velit, salutem impetret. At qui nec ipsi heretici hoc dicere audent. Nihil ergo hic locus pro fide iustificante facit. Deinde non docet hic locus ex sola fide hoc beneficium impetratum fuisse: sed quū prius hic Archisynagoga & humilitatē multā ostendisset (*procidit enim ad pedes Iesu*) & oratione ardenti vsus fuisset (nam *deprecabatur eum multum*, ait Marc. cap. 5.) nunc autem audita morte filiae dubitare cœpisset, hortatur eum Christus ad solam fidem, quia illa sola labefactari cœpit; non quia propter illam solam beneficium, quod petijt, collaturus esset, sed quia sine firma fide collaturus non esset.

### IN LVCÆ CAP. 9.

7. *Eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis, &c.*

**P**ROPTER has populi Iudaici varias dubitationes de Christo, & quia Matth. 14. Herodes existimabat Christum esse Ioan. Baptistā à mortuis resurgentē, & quia Matth. 16. alij Christum esse Ieremiā aut aliū Prophetam existimarunt, & deniq; quia Ioan. 1. Pharisei interrogant Ioan. Baptistam an esset Elias, Calu-  
nus

nus in comment. Harmoniæ suæ ad cap. 14. & 16. Matth. & in hunc locum, & in comment. super Ioan. cap. 1. & cap. 9. constanter docet Iudæos & ipsos maxime Phariseos credidisse transmigrationem animarum in corpora, quam olim Pythagoras docuit. Ex quo Phariseorum errore præsupposito, contra errores Synagogæ, & consequenter Papatus, variam disputandi occasionem arripit. Sed totam hanc de Iudæis opinionem falsam planè & vanam esse solidis argumentis Franciscus pro-  
 Iudæi non crediderunt animarum transmigrationem.  
 bat Toletus in comment. in Ioan. cap. 1. Quorum præcipuum ferè istud est: Pharisei pro certo credebant resurrectionem mortuorum, ut apparet Act. 23. clamante Paulo se *ut Phariseum de resurrectione mortuorum iudicari*. Atqui resurrectio mortuorum, quæ singulos cum singulis animabus in corporibus proprijs resurgere ponit, transmigratio animarum ex diametro contraria est. Deinde nec hic locus nec alij citati illam Iudæos opinionem habuisse docent, sed planè contrarium. Nam hîc alij putabant aut Ioan. Baptistam aut aliquem Prophetam à mortuis resurrexisse, qui Christus esset; alij Heliam apparuisse, quem non adhuc esse mortuum ex Scripturis suis sciebant. Resurrexisse aliquem opinabantur cum corpore proprio, non defuncti cuiusquam animam in Christum migrasse. Sic Christum aut Ioan. Baptistam Eliam esse potuisse opinabantur, non quòd anima Eliæ in Christum migrasset, sed quòd hic Christus ipsemet Elias esset. Sanè nec hunc errorem Christus illis vnquam impropertavit, nec Clemens Rom. Const. Apost. lib. 6. cap. 6. vel Epiph. hæc. 16. vbi Iudæorum errores enumerantur, de hoc errore vllū verbū faciunt. Iosephi verba de bello Iud. lib. 2. cap. 7. vbi scripsit Phariseos existimare  
 bo-

bonorum animas in corpora transfigrare, magis declarat Antiq. lib. 18. cap. 2. eorum sententiam fuisse, quod bonorum animæ facile ad corpora redirent. j. ex mortuis resurgerent, vt hîc de illis Lucas refert. Tametsi verò Iudæi hodie hoc errore laborant, non sequitur vlllo modo etiam Christi tempore eodẽ errore eos laborasse. Recentiores quippe Iudæi non bonorum tantum sed & impiorum animas transfigrare existimant, multisque alijs erroribus laborant à quibus Iudæi Christo veniente immunes erant. Est igitur vanum & fabulosum, Iudæos, Christo veniente, errore hoc Pythagorico laborasse.

54. *Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?*

**A**RRIPIT hîc occasionem Calvinus eorum pietatem taxandi qui Sanctorum Patrum exempla imitari student. *Hic (inquit) videmus quò nos impellat stulta sanctorum patrum imitatio. Quare verò istud? Obtendunt (inquit) Iacobus & Ioannes Eliæ exemplū, sed non attendunt quantum ab Eliæ differant. Non bene examinant zeli sui intemperiam: ad Dei vocationem non respiciunt.* Hæc ille. Sed primū aperte mentitur, quum ait Apostolos obtendere Eliæ exemplum. Nullam Eliæ mentionem faciunt: ergo eius exemplū non obtendunt. Illud quippe obtendimus quod ad facti nostri vel rationem vel exculationem disertè proferimus. Deinde etsi conijcere liceat ad exemplū Eliæ eos hoc petijisse, tamen neque ex coniectura fas est Apostolos condemnare, neque hæc coniectura firma est. Elias quippe ad suam tutelam, suoque voto in regios milites, qui ad eum capiendum venerant,

SS. Patrū  
imitatio  
defen-  
ditur.